

At quid est? Quid potest, quid agit? Si uti unitas, et unum illud aliud, ad numeros, ita et ipsum, ad entium multitudinem se habet, eadem omnia, et illi, et entibus consequentur, quæ unitati sunt, et numeris consecuta, ut scilicet principium multitudinis entium, atque ipsis entibus, modis iisdem omnibus dicatur esse, et ipsum unum. Principium nimirum, sine quo non. Sine eo namque uno, entium nullum, aut constitit, aut constat. Principium ordinis, inde enim omnis entium ordo, suum ortum habet. Principium numerationis. Ab eo, enim entia numerati incipiunt. Principium productionis. Ab eo enim, entia producta sunt omnia. Principium constitutionis. Unum enim illud quod in entibus, eis est essenziale, et quod ea, et una, et entia facit, ab illo primo uno venit. Principium essentialis. Omnis enim essentia, per unitatem suam, ab uno prodit, ut postea patebit. Principium etiam, si ita de eo fari liceat, ut ex materia, ex eo enim entia omnia prodierunt. Principium quoque ut forma. Ens enim omne, Ideæ suæ particeps est; Idea autem immediate est ab uno. Principium conservationis. Entia enim cuncta, tandiu conservantur, quandiu una sunt. Uno ab eis ablato in interitum, ac forte in nihilum ruunt omnia. Unum aut per quod servatur a primo uno, ut a proprio fonte est. Principium accrementi. Quid enim habemus, quod ab eo non accepimus? De plenitudine enim eius omnes accepimus. Principium perfectionis. Ipse enim est Deus qui vivificat omnia, et omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum. Principium, ut finis. Ipsum namque, et bonum idem sunt. Bonum autem omnibus entibus, ut finis est propositus. Principium denique reditus ad ipsum, et anagoges, et reductionis. Omnia namque ad ipsum redeunt, eique uniri, et eo frui, viribus omnibus exoptant, et adnituntur.

Sin vero non ita se habeat ad entium multitudinem, ut unitas ad numeros, iam multitudo entium nulla erit. Multitudo enim, et numerus prorsus idem sunt. Si vero multitudo nulla est, entia iam nulla erunt, sicuti si numerus nullus sit, neque duo, neque tria ulla erunt. At sunt hæc, et numerus sunt etiam, et multitudo, et entia. Ergo et entia, et multitudo entium, sic se ad unum primum habebunt, ut se numeri habuerunt, ad unitatem, et unum suum. Ergo omnia illud unum consequentur entia, quæ numeros vidimus consequi, et unitatem. Unum ergo illud, principium est entium, iis omnibus modis, quos nunc exposuimus. Principium sine quo non. Principium ordinis, et numerationis, et productionis, et constitutionis, et essentialis, et conservationis, et accrementi, et perfectionis, et finis, et reditus.

Quid ergo, nulla ne erit, inter unum hoc, et unitatem numeri differentia? Nulla ne diversitas inter entia, et numeros? Erit sane. Omnes enim numeri, præter primum, entia sunt. Primum autem numerum appellamus, Idearum unitates, de quibus suo agetur loco. Qui super entia omnia est. Reliqui omnes numeri entia sunt. At non sunt forte entia omnia, si uni tantum quantitatis parti discretæ, numeri tribuantur. Entia namque ad essentias pertinent reliquas, et hoc plus, quam simplices habent numeri. Veluti homo, et anima rationalis, et unum, et duo, et entia sunt, et convertuntur. Entia enim sunt, et sunt entia, et duo, et unum. Quid ergo differunt? Eo nimirum, quod, alterum plus habet altero. At quid hoc ipsum est? Forte sicuti ab unitate, profluxus numerorum, et cognoscuntur, et dignoscuntur, sic et entia profluxu ab uno, et cognoscuntur, et dignoscuntur, tum in se, tum ad invicem, tum etiam in differentia quam ad numeros habent. Est igitur ante omnia pervestigandum hoc ipsum, quod de uno conclusimus, quo modo entium queat esse principium; et quo modo ab uno, entium forte infinita prodierit antea, et nunc prodeat multitudo. Hoc igitur primum omnium peragamus, ostendentes prius veram esse principii secundam proprietatem. In principio esse omnia. Idque esse necessarium, si locus veritati illius detur divini oraculi. Nemo dat, quod non habet. Hoc igitur demonstrandum antea, in principio entia omnia præfuisse, antequam de principio, profluerent, aut prodirent.

*FINIS SEXTI LIBRI.*